

tabis igitur, DEUM alia ratione agere, alia creaturas. DE-
US omnia operatur, quatenus ad omnes creaturarum effe-
ctus concurrat, concursu generali & indeterminato, a quo
res nondum habet esse suum specificum. Ut igitur effectus
esse suum specificum nanciscatur, requiritur influxus causae
secundae seu creaturae, quae speciali & determinato modo
influit, & a qua effectus, ut talis specie sit, habet. Sic si qua-
ras, unde nam hic vel ille effectus naturae, v. g. equus suum
esse specificum habeat, certe non respondeo, a concursu di-
vino, utpote generali & ex se indeterminato, sed hoc poti-
us a me responsum expectabis: quia ejus causa secunda fuit
equus. Ad 3. Resp. tum corpoream, tum incorpoream sub-
stantiam agere. Quod prioris probationem concernit, quae
dicebatur, corpora a materia tanquam principia pure passi-
va ab actione impediri, illa plus, quam puerilis est, cum non
sola materia corporum naturam exhauriat, sed cum forma
unita demum corpus constituat. Ratione autem formae
corpora agere, quis neget? Posterioris probationem quod
spectat, creaturas nempe incorporeas non agere, cum nec in
materiam nec immaterialem agere possint substantiam.
Resp. in utramque eas agere posse. Nec est, quod quis di-
cat, inter materiatum & immateriatum nullam esse propor-
tionem, Resp. enim quod hoc quidem de agentibus, crea-
tis, spiritualibus, aliquid obtineret, nisi nobis constaret, spi-
ritus quicquid agunt, quod quidem sub nostros cadat sensus,
agere non immediate sed mediate, mediante motu locali, ap-
plicando nimirum agens ad patiens, inter quae omnino datur
proportio. Sic historiae referunt, quod Diabolus cum sagis qua-
doque rem habuerit & ex iis prolem susceperit, cuiusmodi
actiones, ab ipso ceu spiritu immediate proficisci non pos-
sunt, sed, secundum multorum opinionem, beneficio motus
localis fieri existimantur, quatenus motu velocissimo se-
men

men